IN NOMINE DOMINI, Amen.

CONCLUSIONES THEOLOGICÆ

De

INDULGENTIIS,

Juxta
Mentem S. THOMÆ AQUINATIS Angelici
Ecclesiæ Doctoris *ex Suppl: QQ. 25. 26. & 27.*

DEPROMPTÆ.

& per

M. STANISLAUM PATELSKI,

Sacræ Theologiæ Professorem, Collegam Majorem, Ecclesiæ Collegiatæ S. FLORIANI Canonicum, Parochialis ad S. STEPHANUM Præpositum, Seminarii Vice-Præfectum

Propugnante easdem

M. MATHIA TYLKOWSKI, Philosophiæ Doctore & Professore, Seminarii Academico-Diœcesani Procuratore, Præbendario in *Szczepanow.*

Disputationi publicæ
Infra Octavas S. CANTII

Annô Domini 1775. *Mense Octobri*

EXPOSITÆ.

HONORI & GLORIÆ
MIRABILIS in SANCTIS
&
SANCTI in ómnibus operibus suis

DEI

Ter Optimi Maximi.

CULTUI & VENERATIONI

SANCTI JOANNIS CANTII

SS. Theologiæ Doctoris & Professoris, Patroni
Regni Poloniæ & M. D. Lithvaniæ,
Almæ Universitatis Cracoviensis Patriarchæ.

Cujus Vita gloriosa

In Oppido Kenty Ducatûs Zathoriensis & Osvecimensis
Annô MCCCXCVII.
Ad multorum exemplum effulsit,
Mors verò pretiosa in conspectu Domini,
Cracoviæ Annô MCCCCLXXIII,
Ad plurimorum patrocinium apparuit.

Cujus Imagines publicæ venerationi exponi

Et Anniversariam Obitûs Diem solemniorem reddi,
Missæ de SSS. TRINITATE celebratione.
Annò MDC. Ssmus D. CLEMENS VIII. permisit.

Cujus Cultum immemorabilem

SSmus D. INNOCENTIUS XI. An: MDCLXVI.
approbavit.

Annô

Annô autem MDCLXXX. Officium sub Ritu duplici
& Missam de Communi Confessoris non Pontif.
in die felicis Obitûs celebrandam
assignavit.
Annô deniq; MDCLXXXI. Festivitati Annuæ
Dominicam IVtam Octobris determinavit.
Quem Ssmus CLEMENS ejus Nominis XII. An: MDCCXXXVII.
ad Instantiam Serenifs. AUGUSTI III. Poloniarum Regis,
totiusq; Reipublicæ Polonæ, Principalem Regni, ac
M. D. Lithvaniæ PATRONUM declaravit.
Quem tandem Ssmus CLEMENS XIII. Pontifex Maximus
intercedente Serenissimo STANISLAO AUGUSTO REGE,
necnon Senatorio & Equestri Ordine
Annô MDCCLXVII. Die XVI. Mensis Julii
Sanctorum Catalogo inscripsit.
Recurrente autem Die Anniversaria, Annô MDCCLXXV.
Actus Solemnis Canonizationis per Octavam
In hac Metropoli Urbe Cracovia
in frequentissimo Populi devoti confluxu
CELEBRATUS.

Hinc
Sancto Sanctorum
DEO T.O.M.
Cultus Latriæ in æternum.

---

* *Indulgentiarum etiam potestatem à CHRISTO in Ecclesia relictam fuisse; illarumque usum Christiano populo maximè salutarem esse, affirmo.* Ex Professione Fidei.

NOmine *Indulgentiæ* quæ conceditur tempore Jubilæi, & aliis temporibus, ex communi usu, & acceptione Ecclesiæ, non significari quamcunq; remissionem, aut relaxationem peccatorum, sed relaxationem duntaxat pœnæ temporalis debitæ peccatis dimissis, per modum absolutionis habentis annexam solutionem de Thesauro Ecclesiæ. Unde sic definitur: *Indulgentia est remissio pœnæ temporalis debitæ peccato actuali remisso quò ad culpam & pœnam æternam, facta extra Sacramentum ab eo, qui jurisdictionem spiritualem habet, dispensandi Thesaurum Ecclesiæ.* Dicitur *pœnæ temporalis*, quia remissâ culpâ & pœnâ æterna per Sacramentum Pœnitentiæ, seu perfectam contritionem, sæpe remanet pœna temporalis in hac, vel in altera vita luenda, ut ex professo docetur contra Hæreticos in Tract: de Pœnitent. Et hujus pœnæ remissio dicitur Indulgentia. Dicitur, *peccato actuali remisso debitæ*: quia omnis pœna peccato Originali debita, per Baptismum remittitur.

Dicitur *Facta extra Sacramentum*; ut distinguatur à remissione Sacramentali, quæ est magìs liberalis, quia pro satisfactione levi, culpa & pœna æterna remittuntur. *Indulgentia* verò est quædam solutio debiti ex Bonis communibus Ecclesiæ; non secus ac si pro debitore mille Florenorũ, Prætor solveret parem summam ex Ærario publico.

Dicitur *Facta ex Thesauro Ecclesiæ*. Est autem iste Thesaurus valor satisfactorius bonorum operum Christi & Sanctorum, qui non fuit eis necessarius pro expiatione propriorum peccatorum, permaneus in acceptatione Dei ad utilitatem Corporis Ecclesiæ, cujus Christus est Caput, Sancti & omnes Fideles membra, & qui proinde applicari potest ejusdem corporis membris, quæ indigent.

Dicitur *ab eo qui jurisdictionem &c.* S. Th. in Suppl. q. 26. a. 3. *Potestas faciendi Indulgentias architectonicè residet in Papa, qui potest facere, prout vult, causâ tamen existente legitima, sed in Episcopis est taxata secundùm ordinationem Papæ.*

CON-

CONCLUSIONES

I.

EXtat in Eccleſia Theſaurus ſatisfactionum Chriſti & Sanctorum, qui applicari poteſt iis, quibus poſt culpam, reſtat pœna temporalis luenda in hac vel in altera vita. Hic Theſaurus ſeu Cumulus bonorum ſpiritualium exiſtens in inviſibilibus Mentis Divinæ Ærariis, & DEI acceptatione, coaleſcit primariò ex infinitis Chriſti meritis & ſatisfactionibus, & deinde ex ſuperaffluentibus Sanctorum Omnium meritis atq; ſatisfactionibus.

ET certè non eſt ditior fundus, unde coaleſcere poſſit Theſaurus Eccleſiæ, quàm merita Chriſti, qui, teſte Paulo. 2. Cor. 8 *Propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet dives, ut illius inopiâ, vos divites eſſetis.* Paſſio & labores Chriſti, non erant illi neceſſarii ad ſatisfactionem pro peccatis (utpote qui peccatum non fecit, nec facere potuit Cor. 5. & Hebr. 7.) & propter unionem ad Verbum erant infiniti valoris, hi autem dati ſunt Eccleſiæ, ubiq; enim in Scripturis Chriſtus dicitur nobis datus, & pro nobis paſſus. Ad hunc ſatisfactionum Theſaurum ſpectant merita B. V. M. & SS. Unde Clem: VI. in *Extravag.* Unigenitus. De Pœnit. &c. *In Ara Crucis immolatus Salvator, non guttam Sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro Redemptione totius generis humani ſuffeciſſet, ſed copiosè velut quoddam profluvium noſcitur effudiſſe --- Quantum ergo exinde, ut nec ſupervacanea, inanis, aut ſuperflua tantæ effuſionis miſeratio redderetur, Theſaurum militantis Eccleſiæ acquiſivit ---- Quem quidem Theſaurum non in ſudario repoſitum, non in agro abſconditum, ſed per B. Petrū Cœli Clavigerum, ejusq; Succeſſores, ſuos in terris Vicarios, commiſit*

Fide-

Fidelibus ſalubriter diſpenſandū. Ad cujus Theſauri cumulum Beatæ DEI Genitricis, omnium Electorum à primo Juſto, usq; ad ultimum, merita adminiculū præſtare noſcuntur. De cujus conſumptione ſeu minutione non eſt aliquatenus formidandum, tam propter infinita Chriſti merita, quàm pro eo, quòd quantò plures ex ejus applicatione trahuntur ad juſtitiam, tantò magìs accreſcit ipſorum cumulus meritorum. Conſtat DEUM ex Sanctorum precibus moveri ad condonandas ipſis etiam impiis pœnas, quas promeruêre. Sic pepercit rebellibus Iſràélitis propter Moyſen Servum ſuum, ipſi Sodomæ parciturus, ſi decem in ea juſtos reperiſſet. Atq; ea erat intima primævæ Eccleſiæ fides, cùm ad Martyrum preces debitas lapſis pœnas moderabatur, ùt ſcribit S. Cypr: monetq; ne indiſcriminatim pro omnibus, ſed pro iis tantùm *Indulgentiam* poſtularent, qui exemplô incæſtuoſi Corinthii pœnitentiæ fructus ederent. *Credo* (ait Epiſt. 13.) *ut qui libellu à Martyribus acceperant, & auxiliô eorum adjuvari apud Dominum in delictis ſuis poſſint, ſi premi infirmitate aliqua, & periculó cœperint, Exomologeſi facta, & manu eis à vobis in pœnitentiam impoſita, cum pace à Martyribus ſibi promiſſa ad Dominum remittantur.* Quin & id exigit, quæ à DEO inſtituta eſt *Communio Sanctorum.* Per hanc enim efficitur, ut membra ſe invicem juvent, & quod ab uno perficitur, ad alium quodam jure pertineat. Ergo nihil eſt, cur Sanctorum merita ab Eccleſiæ Theſauro excludantur; eſt verò cur in eodem dicantur aſſervari, non ùt quid eſſentiale, quasi absqué iis non ſufficiant merita Chriſti; ſed ùt ſecundarium aliquid, per quod DEUS Sanctos ſuos honorari voluit.

II.

ECcleſia accepit à Chriſto poteſtatem Indulgentias diſpenſandi ex Theſauro Eccleſiæ, harumq; uſus à temporibus Apoſtolorū, usq; in hunc diem ſine ulla interruptione duravit & durat. Hæc poteſtas conferendi *Indulgentias* primariò cōpetit Summo Pontifici & per ipſum in Epiſcopos derivatur.

Patet

PAtet hæc veritas ex verbis Christi Matth: 16. *Quodcunq; solveris super terram, erit solutum & in Cœlis*. Hæc promissio est generalis, nec restringitur ad peccata, ut illa Joan: 20. *Quorum remiseritis peccata &c.* sed extenditur ad omnia vincula, quæ possunt homines impedire à consecutione salutis, ideoq, non solùm ad absolutionē à peccatis, sed etiam ad absolutionem à Censuris, ad dispensationem in votis, & ad relaxationem pœnarum temporaliū &c. Quod autem ibi promittitur Petro, confertur Joan: 21. *Pasce oves meas*. Petrus itaq; constitutus supremus Pastor, Rector & Judex Ecclesiæ potest vice Christi absolvere homines à peccatis applicando illis merita Christi per Sacramenta, & à pœnis peccatorū extra Sacramenta applicando pariter illis satisfactiones Christi & Sanctorū. Ideo autem absolutio à peccatis non fit extra Sacramenta, quia peccatū mortale, non remittitur nisi per infusionē gratiæ, gratia verò non datur ministeriô hominū nisi per Sacramenta, sed absolutio à pœnis temporalibus non fit per infusionē gratiæ, sed eam supponit. Et cur Christus illi negâsset potestatē remittendi pœnā temporalem, cui potestatem dedit remittendi quælibet gravissima peccata, iisq; annexam pœnam æternam? Hanc potestatem exercuit S. Paulus, remittendo pœnam temporalem incæstuoso illi 2. Cor. 2. Deinde post Apostolorum tempora usus erat in Ecclesia, ut ad preces Martyrum, qui detinebantur in carceribus, vel aliàs, quando Episcopi id expedire judicabant, pars pœnitentiæ lapsis remitteretur, ùt constat ex Tertull. L. ad Martyres post initium, ex S. Cypr. l. 3. Epist. 13. ex Concil. Nicæn. I. Can. 12. ex Concil. Ancyran. c. 5. & Laodiceno cap. 2. S. Greg. circa An. 600. *Indulgentias* in diebus Stationū concessit, ùt testatur Altissiodoren. l. 4. Summæ Theol. & S. Tho: in 4. d. 20. q. 1. a. 13. Juxta Toletum in Summa l. 6. cap. 4. Catholicos omnes debere confiteri & asserere, circa Indulgentias, has tres veritates *Prima* est, *esse Thesaurū infinitum satisfactionum Christi & Sanctorū in Ecclesia: Ita determinatur in Extravag. Unigenitus* à Clem. VI. *Secunda* est, *esse hanc potestatem in Ecclesia dispensandi membris suis hunc Thesaurū. Hæc determinatur* à Conc. Trid. Sess. 25. *Tertia* est,

esse

eſſe utiles Indulgentias, & prodeſſe Fidelibus, qui convenienter eis utuntur. Ita determinatur à Conc. Lateranen. Viennen. &c.

Primi, qui Eccleſiæ poteſtatem concedendi Indulgentias negârunt, fuerunt Montaniſtæ & Novatiani. Teſtis eſt Tertulianus qui, *Libr. de Pudicitia*, quem factus Montaniſta conſcripſit. *An tu* (inquit) *& in Martyres tuos effundis hanc poteſtatem? Sufficiat Martyri propria delicta purgâſſe ---- Quis alienam mortem ſuâ ſolvit, niſi ſolus Filius Dei?* En Argumentum, quô moderni Hæretici Indulgentias tollere nituntur. Poſtea, nempe ſæculo XII. Valdenſes, ſæculo XV. Wicleſiſtæ, & Huſſitæ, bellum adversùs Indulgentias inſtaurârunt. Acerrimus tamen Indulgentiarum hoſtis fuit Lutherus, Annô 1517. Cùm enim Indulgentiarum promulgatio, quæ priùs ſui Auguſtiniani Ordinis Fratribus committebatur, Fratribus Prædicatoribus conceſſa fuiſſet, hoc indignè ferens Lutherus, tanquam injuriam ſuo Ordini irrogatam; primùm in Indulgentiarum abuſus varios declamare cæpit: & tandem ad earum ſubſtantiam, & valorem enervandum prorupit propoſitionibus, quas Leo X. in ſua adversùs Lutherum Bulla proſcripſit. = Idem Annô 1519. eodem ferè modo apud Helvetios contigit. Cùm enim quidam Franciſcanus ejusdem Leonis authoritate, ad Indulgentias publicandas illuc miſſus eſſet: Zvinglius ea, quæ Franciſcanus ille proferebat, impugnare cæpit: & tandem eò devenit, ut ipſas etiam Indulgentias, & eas ferendi poteſtatem ab Eccleſia abſtulerit. Quam poſteà Calvinus funditus evertere dicteriis, calumniis & mendaciis tentavit; adeò ut error iſte ab omnibus modernis Hæreticis adoptatus ſit.

Eccleſiæ tamen Catholicæ perpetuam fidem recenſitis erroribus contrariam tradit Concil. Trid. Seſs. 25. *Cùm poteſtas ferendi Indulgentias à Chriſto Eccleſiæ conceſſa ſit; atq; hujusmodi poteſtate Divinitus ſibi tradita, antiquiſſimis etiam temporibus illa uſa fuerit; Sacroſancta Synodus Indulgentiarum uſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem, & Sacrorum Conciliorum auctoritate probatum in Eccleſia retinendum eſſe docet, & præcipit, eosq; anathemate damnat, qui aut inutiles eſſe aſſerunt, vel eas concedendi in Eccleſia poteſtatem eſſe negant &c.*

III.

III.

POtestas largiendi Indulgentias, non est Ordinis, nec Ordinem prærequirit, sed est Jurisdictionis. Et ut Indulgentia sit valida & rata, hæc quatuor requiruntur: auctoritas in concedente, charitas in suscipiente, causa legitima, quæ sit scilicet ad honorem DEI & Ecclesiæ utilitatem, & adimpletio operis adjuncti.

Actus qui à Judice nonnisi in subditos exerceri potest, est de se actus Jurisdictionis. Atqui Indulgentia nonnisi in subditos exerceri potest; ùt patet ex *c.* 4. *de pœnit. & remiss.* ubi consultus ALEXANDER III. *An Indulgentiæ quæ fiunt in Dedicationibus Ecclesiarum, aliis prosint, quàm his qui remittentibus subsunt*, respondet non prodesse, *eò quod à non suo Judice ligari nullus valeat, vel absolvi.* Insuper potestas Ordinis respicit verum Corpus CHRISTI, nam ad hoc conficiendum hæc Potestas confertur. Concessio autem Indulgentiarū respicit Corpus CHRISTI Mysticum, videlicet Christi Fideles, qui sunt membra Capitis Christi Domini. Si itaq; potestas illa esset potestas Ordinis, posset Sacerdos quilibet vi Ordinationis suæ conferre Indulgentias. Atqui nequidem potest Episcopus absq; Episcopatu reali consecratus: quia neuter vi Ordinationis solius quemquam ligare vel solvere potest. Cùm nemo ex sola Ordinis potestate subditos habeat: nullus autem, nisi subditos solvere possit.

Quomodò ergo Papa, vel Episcopus faciens Indulgentias potest illarū particeps fieri, siquidem non possit in se ipsum exercere Jurisdictionem, ideoq; nec se absolvere? ℟. participem fieri Indulgentiæ, quam facit, non per modum absolutionis, sed solutionis, quatenus sibi applicat satisfactionem, quam aliis concedit, sicut qui dispensat bona communia, potest ex illis suam

suam

suam portionem sumere. Alii dicunt, quòd possit concedere suo Confessario facultatē ipsum absolvendi non solùm à culpa per Sacramentum, sed etiam à pœna temporali per Indulgentiam, quod etiam verum est.

IV.

INdulgentia pœnam canonicam remittendo, consequenter verè coram DEO remittit pœnam Purgatorii: quo autem in gradu, soli DEO notùm est, unum id scire refert, eò plus pœnæ remissum iri, quò major fuerit pœnitentis, aut Indulgentiam lucrantis devotio. Unde tritum: *Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant, seu prædicantur; dummodo ex parte dantis sit auctoritas, & ex parte recipientis charitas, & ex parte causæ pietas, quæ comprehendit honorem Dei, & proximi utilitatē.* Verba sunt *S. Th. q. 25. Suppl. a. 2.*

EX doctrina S. TH. colligitur. *Imò*. Ad valorem Indulgentiarum requiri in eo, qui eas concedit auctoritatem dispensandi Thesaurum Ecclesiæ ex Meritis Christi & Sanctorum, sicut in eo solo adest facultas dispensandi bona Communitatis, qui auctoritatem habet in Communitate. Deinde in eo, cui conceduntur, requiri unionem per charitatem cum illis, quorum merita dispensantur: sicut, ùt aliquis gaudeat de Bonis Communitatis, debet esse Communitati unitus. Et ideo qui est in peccato mortali, cùm non sit unitus Christo, & Sanctis per charitatem, non est capax fruendi valore Indulgentiarum.

Colligitur *2dò*. Quantitatem fructûs Indulgetiarum correspōdere quantitati meritorum Ecclesiæ, seu Christi, & Sanctorū; non quantitati devotionis, vel laboris ejus, qui recipit: quia Indulgentiæ mensurantur meritis, quæ dispensantur, non ejus,

qui

qui eas suscipit. Unde ibi ad 4. docet, quodsi concedatur Indulgentia 7ptē annorũ ei, qui vadit ad aliquam Ecclesiam: *Ille, qui est vicinus Ecclesiæ & Ecclesiæ Sacerdotes, & Clerici consequuntur tantam Indulgentiam, sicut ille, qui veniret à mille dietis: quia remissio non proportionatur labori, sed meritis, quæ dispensantur: sed ille, qui plus laboraret, acquireret plus de merito, sed hoc intelligendum est, quando indistinctè Indulgentia datur. Quandoq; enim distinguitur: sicut Papa in generalibus absolutionibus, illis, qui transeunt mare, dat quinque annos, aliis qui transeunt montes, tres, aliis unum.*

Colligitur 3tiò. Ad valorem Indulgentiarum requiri causam justam & rationabilem ex parte concedentis, quæ cedat in honorem Dei & utilitatem Ecclesiæ. Quia talis fuit *Intentio illorum, qui opera meritoria fecerunt, & quorum merita per Indulgentias dispensantur:* qui autem secus faceret, non esset Dispensator fidelis; quia non dispensaret secundùm Voluntatem Domini, & Thesaurum Ecclesiæ prodigè profunderet.

Causæ autem justæ Indulgentias ferendi 1mò. sunt: *Causæ Spirituales*, ùt Infidelium conversio, hæresum extirpatio, populi tum erga Sanctos, tum erga Sedem Apostolicam devotio, urgens Ecclesiæ necessitas, gloria Martyrum & meritorũ eorumdem commendatio. 2dò. etiam causa temporalis, quatenus tamen ordinatur ad aliquid spirituale; quia tunc Indulgentiæ dantur pro illo spirituali, ad quod ordinantur. Sic Indulgentiæ conferuntur pro Basilicarũ constructione, Monasterii, Xenodochii, vel in alimoniam pauperum, & euntibus ad bellum contra Infideles. Ita S. Th. citatâ. *q.* 25. *Suppl a.* 3. ubi ad 1. docet: quòd *Non sit ibi Simonia: quia non datur pro temporali, sed pro spirituali.*

Quantum ad illud, quod in parte 1ma hujus Conclusionis asseritur, videlicet: *Indulgentia remittendo pœnam canonicam, verè & coram DEO remittit pœnam Purgatorii:* Certum est, quia condonatio, quam incæstuoso fecit Apostolus 2. Corinth. 2. non minùs efficax fuit, quàm si à Christo ipso facta esset: cùm facta sit Christi authoritate, seu in *Persona Christi*. Condonatio autem à Christo ipso facta, in foro

DEI rata est & efficax. *Tandem* prosunt Defunctis Indulgentiæ, ùt ex Conclusione V. patet, non prosunt verò eis, nisi quò ad solutionem pœnæ in foro DEI debitæ. Tum ex Sixto IV. qui in Constitut: *Licet ea*, proscripsit istam Petri Oxoniensis Thesim. *Romanus Pontifex Purgatorii pœnam remittere non potest*. Tum ex Leone X. qui hunc Lutheri Articulum n. 14. perstrinxit. *Indulgentiæ his, qui eas veraciter consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud Justitiam Divinam.*

2da. pars Conclusionis probatur contra eos, qui tot Purgatorii dies vel annos per Indulgentiam remitti censent, quot in Bulla Indulgentiæ exprimuntur. Probatur, inquam; Indulgentia Quadragenæ eas solùm pœnas remittit, quarum quis obtinuisset remissionem, canonicam per dies 40. pœnitentiam obeundo. Atqui prorsus incertum est, an per pœnitentiam hanc obtinuisset remissionem pœnæ in Purgatorio per dies 40. subeundæ. Nec dubium est, quin è duobus, qui æquè rei eandem pœnitentiam præstant, multò plus veniæ obtineat, qui hanc jugî studiò decurrit, quàm qui segniter exequitur. Ergo *inscrutabilis judicii est*, definire quoto in gradu operetur Indulgentia.

V.

Indulgentiæ viventibus applicantur per modum *Solutionis* simul & *Absolutionis judiciariæ*, Defunctis autem per modum meræ *Solutionis*, sive per modum *Suffragii*, si in *Forma* earum dicatur, ipsas etiam *Defunctis applicari posse*.

Indulgentiæ viventibus applicantur per modum Absolutionis judiciariæ,] quando Ecclesia virtute Clavium immediatè & moraliter Fidelibus sibi actu subditis, applicat Christi satisfactiones, quibus solvant pœnas temporales pro peccatis suis debitas. Contrà verò Indulgentiæ applicantur per modum suffragii, & solutionis meræ, quando Ecclesia satisfactiones Christi

ex Thesauro suo virtute Claviũ extractas, offert DEO in satisfactionem pœnarum justitiæ Divinæ debitarum, pro illis, qui non ampliùs subjacent jurisdictioni ipsius. Unde Pontifex quò ad vivos se habet instar Viri, qui debitoribus in proprio ejusdem carcere inclusis dat in manu pecuniam, unde se redimant: quò ad Defunctos verò, instar Viri, qui extraneos in alieno carcere inclusos juvare volens, nec suam ad eos pecuniam immediatè transferre valens, quia id non sinunt leges loci, eandem hujus carceris Domino offert, ut eos ab ergastulo misericorditer eruere dignetur. *Indulgentia* itaq; quæ conceditur vivis, est *Absolutio*, non nudè, sed cum *solutione* conjuncta. Ita S. Th. q. 25. Suppl. a. 1. ad 2. *Ille qui Indulgentias suscipit, non absolvitur simpliciter loquendo à debito pœnæ; sed datur ei, unde debitum solvat.* Et ad 3. *Faciens* (inquit) *Indulgentias pœnam pro eo, quod debuit, solvit de bonis Ecclesiæ communibus.* Quod re vera sit *Absolutio* constare videtur. Tum ex ipsa voce *Indulgentiæ*, quæ significat *relaxationem*, *remissionẽ*, & *condonationem*, quo sensu dicitur à Paulo *Donatio* 2. ad Corint. 2. Tum quia si non esset *Absolutio*, non requireret in conferente ullam jurisdictionem, proinde nil obstaret, quin Episcopus Indulgentias, etiam iis qui sibi subditi non sunt, conferret; quod tamen repugnat Alexand: III, Decreto Cap: *Quod autem de Pœnit. & remiss.*

Quòd verò Indulgentia non sit nuda *Absolutio*, sed cum *solutione* conjuncta, patet ex S. Th. suprà laudato. Quia qui sic absolvit, hoc facit solvendo debitum pœnæ ex bonis Ecclesiæ communibus. Non enim id facit, ùt absolutus Dominus propriô arbitriô pœnas condonans; sed ùt Judex, qui potestate sibi tradita reum quidem absolvit; sed ita ut Divinæ justitiæ satisfiat per applicationem meritorum Christi & Sanctorum: & sic compensetur debitum, quod de proprio solvere tenebatur.

Ut ergo Indulgentiæ vivis applicentur per modum *solutionis* simul & *absolutionis* juridicæ; duo sufficiunt, *primum*, ut Ecclesia Indulgentias largiendo, solvat debita Fidelium, quibus eædem applicantur: *secundum* ut debita hæc non solvat simpli-

citer

citer, sed solvat, subditos suos juridicè absolvendo. Porro 1mò Ecclesia per Indulgentias solvit Fidelium suorum debita. Quæ enim in locum satisfactionis à Fidelibus debitæ offert infinitas Christi ipsius satisfactiones, hæc utique non gratìs relaxat debita suorum, sed abundantissimè persolvit. Ecclesia enim in dispensatione Thesauri sibi commissi non se habet ùt Domina, quæ pro arbitrio absolvat; sed ùt Judex Christi Judicis Personā gerens. Atqui Judex quà talis debet justitiæ jura servare illæsa. Ergo quod una ex parte dimittit, ex alia compensare debet, solvendo ad minus æquivalenter.

Præterea Ecclesia Fidelium debita solvit absolvendo. 1mò. quia potestas Ecclesiæ quantum ad Indulgentias hìs nititur Christi verbìs: *Quæcunq; solveritis super terram, erunt soluta & in Cœlis*. Atqui verba hæc juridicam absolutionem important. Unde Martinus V. plenariam Indulgentiā tribuens in Concilio Constantiensi, dicit se *Absolutionem plenariam* concedere. Tum quia Indulgentia vivis concessa non valet, nisi concedatur subditis, igitur requirit, ut concedens in eos, quibus concedit, jurisdictionem habeat. Porro jurisdictio hæc non est necessaria, nisi ad absolvendum juridicè. Tum, quia Indulgentiæ eo distinguuntur à Suffragiis, quód hæc privatâ authoritate fieri possint, non illæ. Ergo Indulgentiæ vivis concessæ, sunt *Absolutiones*.

Ad Absolutionem requiritur jurisdictio, in eum qui absolvitur. Atqui Ecclesia nullam habet jurisdictionem in Defunctos, ut qui jam solius DEI Foro subjaceant. Hinc Summ: Pontifex non habet ampliùs judiciariam potestatē in Defunctos cap. *Legatur* & cap. *Nec quisquam* 24. q. 2. unde non potest citare Defunctos, eorum causas cognoscere, nec eos cogere ad obediendum. *Item* non habet potestatem judiciariā, nisi in oves, quas in persona Petri suscepit pascendas *Joan:* 21. Defuncti autem non possunt ampliùs pasci à Summo Pontifice. Unde Sum: Pontifices, cùm extendunt Indulgentias ad Defunctos, semper apponunt particulam: *per modum Suffragii.* Proinde concluditur Indulgentias Defunctis non applicari, nec prodesse per modum *Absolutionis* judiciariæ, sed per modum obla-

tæ

tæ *Solutionis*, ſeu, ùt communiter dicitur, *per modum Suffragii*. Sed

Dices 1mò. Eccleſia mortuos aliquando excommunicat, aliquando ſolvit ab Excommunicatione. 2dò. Axioma juris habet, delinquentem ſortiri Forum ratione delicti; cùm ergo mortui peccaverint, dum hìc eſſent, poterunt hìc abſolvi. 3tiò, Mortui in Purgatorio detenti, adhuc ſunt Viatores per fidem ambulantes; omnes autem Viatores fideles ſubſunt Pontifici. ℞. ad 1mũ. neg: Ant. Quia Eccleſia, aut Pontifex, nec excommunicat, nec ab Excommunicatione propriè abſolvit mortuos; ſed declarat, quæ ſententia in eos ferri potuiſſet, dum viverent: & in hoc ſenſu prohibet, aut permittit Fidelibus, ut pro illis orent, aut Sacrificia offerre poſſint, aut eos ſepulturâ donare. Unde Eccleſia nec mortuos ferire Cenſurîs, nec ab iis ſolvere directè, & quò ad ipſos, ſed quò ad viventes, quibus declarat, vel errore facti damnatum fuiſse innocentẽ, vel eodem errore abſolutum reũ. ℞. *ad 2dum.* Mortui declarari poſſunt, hinc diſceſſiſſe vel abſoluti, vel ligati; non verò poſt mortem propriè ligari, vel abſolvi. ℞. *ad 3tium*, In Purgatorio detentos, ùt docet S. Th. in 4. diſt. 45. a. 1. non eſſe ſimpliciter in ſtatu viæ, ſed quantum ad aliquid adhuc eſſe in via; quatenus nondum ſunt conſecuti terminum retributionis æternæ. Non ſunt tamen ſimpliciter in ſtatu viæ; quia nec poſſunt transmutari ſecundùm ſtatum felicitatis, & miſeriæ, nec progredi merendo, aut demerendo; quales debent eſſe Viatores, qui jurisdictioni Pontificis ſubjiciuntur.

Cùm itaq; ſolùm duplex ſit modus *Indulgentias* ferendi, ſcilicet per modum *Abſolutionis*, & *Suffragii*, ſeu *Solutionis*, ſi priorî modô Indulgentias *Defunctis* Pontifices non concedunt; ſequitur, ut eas concedant poſteriorî modô: nimirum, ut *Indulgentia* perveniat ad Defunctos, non per viam juſtitiæ, ſed gratuitæ, ac miſericordis DEI acceptationis, quâ merita CHRISTI, & SANCTORUM, in eorum ſatisfactionem oblata velit acceptare. De quo egregiè Cajet. *Tract. 16. de Indulgentiis q. 5.* videndus.

Cæterùm, ùt ſuprà tetigi, ex his non eſt inferendum, Eccleſiã &

& Pontificem in conferendis Indulgentiis non uti potestate *Clavium*, contrarium enim fert stylus, quò *Indulgentiarū Bullæ*, sive pro vivis, sive pro defunctis loquuntur. In eis enim duo exprimuntur. Et quod authoritate Apostolicâ concedantur pro *Defunctis*; & quòd eædem *Indulgentiæ* illis per modum *Suffragii* opitulentur. Per *primum* indicatur, Pontificem auctoritativè procedere, nimirum potestate *Clavium* aperiendo Ecclesiæ *Thesaurum*; & ex eo communia merita depromendo in satisfactionē pro pœnis debitis, sive pro vivis, sive defunctis. Per *secundum* verò indicatur, quò ad pœnas defunctis relaxandas, se non auctoritativè, & absolvendo procedere, sed Indulgentiam per modum *Suffragii* transferendo, seu offerendo *Solutionem*, quà DEUS illos à pœna absolvat. Quod estò DEUS id ex justitia præstare non teneatur, cùm ad hoc nulla promissione se obligaverit: ea tamen acceptatione posita rectè dicitur intervenire justitiam, cùm per satisfactiones de Thesauro Ecclesiæ oblatas, justa fiat pœnarum compensatio.

Indulgentias Fidelibus Ecclesiæ militantis per charitatem Christo conjunctis applicari posse, cùm & earum capaces sint, & Ecclesiæ Jurisdictioni subsint, constat evidenter. Tota igitur difficultas est de Fidelibus Defunctis. Quam resolvit S. Augustinus Epistola 54. *Quod tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit, disputare insolentissimæ audaciæ est.* Atqui tota per Orbem Ecclesia Indulgentiarum mortuis applicationem frequentat; ut liquet ex pluribus Sixti IV. Pii II. Paschalis I. Innocen. VIII. & aliorum Pontificum Decretis. Sentiunt SS. PP. *Neque enim* ait Aug. L. 20. de Civ. Dei c. 9. *piorum animæ defunctorū ab Ecclesia separantur. Cur enim pro eis ista fiunt?* seu offeruntur Sacrificia, *nisi quia Fideles, etiam defuncti, ejus membra sunt. Non est igitur aliqua ratio* ait S. Th. *quare Ecclesia possit transferre communia merita, quibus Indulgentiæ innituntur, in vivos & non in mortuos.*

Nomine *Suffragii* intelligitur subsidium Ecclesiasticum, quod conferri potest, aut merendo per opera, aut impetrando per Orationes, aut satisfaciendo per tolerantiam adversitatū.

Dixi *Si in Forma earum &c.* quia licèt Fidelis quilibet possit opus proprium offerre DEO per modum *Suffragii* impetratorii etiam pro Defunctis, & sic pro illis satisfacere; nemo tamen Indulgentiam aliis applicare potest authoritate propria, sed tantùm ex intentione concedentis; quia privatus nemo dispensator est satisfactionum Christi & Sanctorum, sed is solùm cui Thesauri communis dispensatio specialiter commissa est; videlicet Summus Pontifex.

Annô Sanctô JUBILÆI UNIVERSALIS
M. DCC. LXXV.
Pontificatûs Ssmi D. N. PII VI. Annô Primô.

Permissu Magnifici Domini Rectoris.